

DAGOBERTI REGIS 157

umque & vxores eis & ipsos eisdem cum fidelitatis sacramento, vt moris est (o), commendans, matriculariis quoque iam dictæ basilicæ beatorum martyrum de villis a Viciaco (p) & Cusduno, immoque magno villare & media Nouillare atque Gellis præceptum fieri iussit, in quo etiam sarclidas (q) quam antea isdem contulerat, inseruit, omnibusque optimatibus dolore nimio consternatis, virtute qua potuit, benignissime consolatus est, & inter cætera, quæ ad memoriam reducere longum est, hæc intulit. *Quamuis miserrimus homo, quamdiu incolumis est, semper pro oculis debeat habere futuram omnipotentis Dei discussionem iudicii, in agritudine tamen*

(o) vt moris est. ] Scilicet vt Reges Francorum morti proximi, liberis suis successores, omnes leudes siue subditos sacramento obligarent.

(p) Viciaco & Cusduno ] Minores villa erant in agro Parisino, parui tamen momenti fuisse videntur, cum vix apud alios scriptores earum mentio fuerit facta. Novellare vicus fuisse videtur ad ulteriorem ripam Sequana, oppositus Clippiaco, qui alias noua villa.

(q) sarclidas ] quid sint du Fresne non explicauit, videntur tamen prædia fuisse. Quippe infra eodem capite, villa & sarclida distinguuntur.